

& rationibus agit : sed minas & fulmina in eos stringit, nisi promptè eius edictis obtemperent. Quod hodie Veneti à Paulo V. experiuntur. Egregius igitur apostolus!

13. VIGILATE, STATE IN FIDE) Inferit familiares exhortationes, abruptas, sed graves. *Primò*, Iubet eos *vigilare*, contra Satanæ insidias: ne circumventi supplantentur, & dejiciantur de gradu. Quærit enim Satan ut leo rugiēs, quos devoret securos. *Vigilantia* hæc non est corporis, sed mentis: ad quam & Christus hortatur Luc. 21. Opponitur securitati carnali: quādo corda nostra obruuntur crapula, ebrietate, & curis huius seculi: ut ad cœlestia sese erigere non valeant. *Deinde*, Hortatur ut stent perseveranter in fide: nec patiantur se à fundamento dimoveri: sicut in fine cap. 15. dixerat: *Fratres firmi estote, immoti, &c. Deniq;*, Ut fortiter agant. *Κεκραυξότες, roboramini, robur colligite.* Vult, ne cedant difficultatibus aut periculis obiectis fidei causâ: quoniam ad victoriam non pervenitur, nisi certando & superando difficultates.

14. OMNIA VESTRA CUM CHARITATE) Multa de charitate supra præclara dixerat. Nunc eandem eis commendat non sine causa. Erant enim in sectas divisi, & litigiis vacabant. Vult igitur, ut omnia charitate temperent & corrigant. Neque ista tam Corinthijs quàm etiam nobis dicta putemus: qui schismatibus non levius distracti defectu charitatis peccamus.

15. PRECOR AUTEM VOS FRATRES) Admonet Corinthios, ut Stephanæ familiam in honore habeant, cuius laudes celebrat, ut auctoritatem ac reverentiam eis conciliet. Interest enim, ut virtuti debitus habeatur honos: & qui in ecclesia excellentioribus donis sunt ornati, ijs maior tribuatur auctoritas. Porrò *Stephanæ* nomen viri esse, tametsi ex voce vix colligi possit, suprâ ca. 1. 16.

A & hoc loco (neque enim articulo masculino usquam notatur) tamen ex adjunctis apparet, fuisse non postremæ auctoritatis virum, ecclesiæ Corinthiæ diaconum. *Stephanas* igitur dicebatur, sicut *Ἰωάννης*. Duplici verò encomio huius familiam commendat. *Primò* vocat *primitias Achaia*, quo elogio etiam laudabat Epænetum, Rom. 16. 5. appellans eum *primitias Achaia in Christo*: nempe quia & hic & ille primi Christo nomina dederant Corinthi. Fuerunt igitur hi duo quasi antesignani: qui primi fidem Christi amplexi reliquos suo exemplo ad eandem invitarent: Id quod præclaræ virtutis atque fortitudinis opus fuit: meritoque aliis imitandum ab apostolo celebratur.

ET IN MINISTERIUM SANCTIS) Alterum hoc est præconium & commendationis argumentum: quod sponte sua sese ministerio sanctorum addixerint, idque fecerint, quod alij vel inviti, vel pretio conducti vix faciunt. *Anabaptista*, ordinis omni turbatores, hinc inferunt: isti se ipsos ordinarunt ministerio sanctorum: nihil igitur opus est vocatione vel ordinatione ad docendum: sed fas est cuique sese ingerere, & ordinare: sicut isti se ipsos ordinarunt. Atqui errant in phrasi. Ad sanctorum ministerium isti se ordinarunt: hoc est, ultro se demiserunt ad opus illud servile, quod in præstandis officiis quibuscunque, excipiendis peregrinis, curandis ægris consistebat. Hoc enim ministerium notari, expresse satis docent verba Græca *εἰς διακονίαν τῶν ἁγίων* ad *servitium sanctorum*. Erant igitur isti *ἄγγελοι*, *ministri*, latè sumti. Ab his verò scriptura distinguit doctores, pastores, presbyteros: quia laborant in verbo. Hos Christus dedit, & dat ecclesiæ. *Alios*, inquit apostolus, *dedit apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios doctores, alios pastores.* Hos, inquam, dedit ecclesiæ. Non ergo quivis ex ecclesia in horum ordinem